

PRÆFATIO:

Illustres, sed magnam etiam partem rerum ab eis pro literis gestarum, nuper inter grauissimas alias occupationes in quandam collegi ueluti tabulam, si non affecutum saltem uiam demonstrasse spero. Quò si paulatim successores nostri quæ ipsi collegerint, conferre pergant, futurum arbitror, ut nos breui solidam antiquissimi huius Archigymnasij habituri simus historiam. Ex qua toti orbi tandem innotescat, quanta fuerit præ cæteris semper Scholæ huius nobilissimæ, cum dignitatis gloria summa, tum utilitatis fructus, in omnes Reipublicæ partes uberrimi. Et cum infinita prorsus sint emolumenta, quæ faciliè omnes in amorem huius celeberrimæ Academiæ pertrahere possint, illa certe uel sola immortalem eius famam æstimationem atq; gloriam reddere possunt. Quod præ cæteris totius Germaniæ Gymnasij antiquissima fere sit: quod à Cæsaribus incæpta, à Cæsaribus aucta, à Cæsaribus conseruata, & in hodiernum usq; diem sub Cæsaris, Regis & summorum Principum floreat defensione & Imperio. Deinde quod ex celeberrimis totius orbis Gymnasijs Atheniensium Romanorum & Parisiorum studijs & legib. instituta, quod eruditissimis hucusq; semper abundauerit uiris, & quod ex ea tanta summorum ingeniorum prodierit ad conseruandam hanc Rempublicam Christianam copia & utilitas quantum nullis opibus liceat conferre, nec vllò æstimari possit precio nummario.

TVAE autem Magnificentia hunc laborem tenuem quidem, sed fidelem, præ cæteris qui occurrebant dedicare uolui: non quod opus putem tuis istis pulcherrimis uirtutibus & summis in hanc Rempub: meritis vllò nomine dignum: sed quod ipsa Academia pia omnium uirtutum ac optimorum uirorum mater, sibi in primis gratuletur te ex suis quasi uisceribus natum, ad eam iam creuisse dignitatem, in qua toti Imperio Rom: maximo sis ornamento ac eius auctoritatem eò promouere possis quousq; ipse uelis. Tam diu autem te uelle speramus, quam diu te ex hoc Gymnasio profecisse non poenitebit. Tum quod huic Reforma-

Reforma-